

dit: Matth. XXVI. Quia desperatione gravius offenderunt Deum quam Cain parricidi o, Judas prodicione, teste S. Hieronymo in Psal. CVIII. *Pro clementia*, inquit, *Domini hoc dico, quia magis ex hoc Judas offendit Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit.* Quæ est enim hæc hominis temeritas, ponere limites infinitæ Dei misericordiæ et clementiæ? Ad hæc *Non tam gravis est casus*, ait S. Chrysostomus, hom. VIII. in I. Corinth. *quam post casum jacere, neque tam grave vulnus accipere quam nolle acceptum curare.* Vermis conscientiæ Judam suffocavit priusquam suffocaret laqueus: quod si ipse vermem illum suffocasset per veram pœnitentiam et veniæ spem, a verme suffocatus non fuisset, ut loquitur S. Bernardus serm. de conversione ad Clericos, c. VI. «Optimum, inquit, et sentire tunc vermem, cum possit etiam suffocari, itaque mordeat nunc ut moriatur et paulatim desinat mordere.» Leo Armenius imp. quia Michælem Balbum, comitem excubitorum, insidiatorem vitæ suæ, non occidit, sed ad preces uxoris vita donavit, postea ab eo occisus est: Zonara auctore. Idem contigit Judæ cum verme conscientiæ, quem certe mactare poterat, si cogitasset, Christum Dominum et magistrum suum pro salute generis humani, adeoque etiam ipsius vermem effectum, sicuti fatetur Psal. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium homi-*

num et abjectio plebis. Certe vermi similis factus est in cruce tenerrimus ligni vermiculus. Itaque nemo dicat: Deus in cœlo sublimis regnat in cœlestibus, ego autem terræ vermiculus sum, qui offendi ipsum; quia ille quidem *Sublimis in regno, sed suavis in cruce*, ait S. Bernard. serm. LXI. in Cant. *Petra refugium herinaceis* (ait ibidem) *dicitur, Psal. LXIII. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris, etc.* Quod si instet peccator multitudine peccatorum prægravatus et animo succumbat, quod Deo non sit solvendo, huic respondet S. Ambr. lib. de pœnitent. c. VIII. «Plura solvendi habet subsidia, qui Deo, quam is, qui homini debet: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quibus solvat. Oratio, lacrymæ, jejunia, debitoris boni census est.» Sic ille.

Vidimus ergo quanto consilio et quanta discretione jusserit Joannes dirigi viam Domini, non quomodocumque scilicet, sed ita ut fiat recta, plana, lata, segura, nitida, etc. Magnus nimis est Deus; cui debetur via ex omni parte recta, quique ait, Proverb. VIII. *Viam pravam, et os bilingue detestor.* Auferte igitur a facie Dei vias, quas descripsimus, pravas et perversas, et rectas facite semitas Dei nostri.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

EVANGELIUM. Lucæ III.

Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abylinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha: factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaïæ prophetæ: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et videbit omnis caro salutare Dei.*

CONCIONES.

- I. *Hominis dignitas.*
- II. *De morte justorum pretiosa.*
- III. *Extremi judicii sententia.*
- IV. *Quæ vitia maxime deponenda, ut viam Domino paremus.*
- V. *Qualis debeat esse contriti.*
- VI. *Pœnitentia baptismo similis.*
- VII. *Partes pœnitentiæ compendio exponuntur.*
- VIII. *Documenta.*
- IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTUARII.

- I. *Confessio non ita grave onus, ut quibusdam apparet.*
- II. *Propositum emendationis qui firmandum.*
- III. *Præposterus pudor in confessione ut vincendus.*
- IV. *Turpitude peccati consideranda et per contritionem amovenda.*
- V. *Pœnitentia fortite agenda pro festo natalitio.*

CONCIO I.

DIGNITAS HOMINIS.

- I. *Homo microcosmus.* — II. *Imperator mundi.* — III. *Imago Dei.* — IV. *Frater Dei.* — V. *Conviva Dei.* — VI. *Deus quodammodo.* — VII. *Hæres cœli.*

THEMA.

Vox clamantis in deserto. Luc. III.

Vetus Romanorum consuetudo fuit, teste Pierio lib. XLI. hierogl. Baptista Fulgoso et aliis, ut ingenuis et nobilibus liberis parentes auream bullam appenderent ad pectus, quo imprimis monerent eos fortunæ et fragilitatis humanæ, similitudine, forma et nomine desumpto a bullis, quæ gutturam destillatione in aquis generantur et vel ab unica aquæ guttula rursus extinguntur: tum etiam ingenuitatis et nobilitatis suæ, eo quod aurea esset bulla et ingenuorum ac patriciorum insigne ne proinde dignitatis et generis sui obliti turpia et impudica agerent, vel etiam cum servis et mancipiis se miscerent. Quare bulla isthæc aurea duplex eis amuletum erat, partim contra

elationem, in quantum bullæ formam habebat, partim contra animi levitatem, in quantum aurea erat et insigne nobilitatis. Ad eundem modum Deus hominem vestivit. Ex una enim parte fecit eum bullam, id est, miserum, fragilem, sordidum, brevi tempore victurum, ut haberet quo se humiliaret. Ex altera vero parte fecit eum quodammodo aureum et nobilem, elegantem, potentem, sapientem, divitem, Deo similem, etc. ut haberet etiam quo dignitatis suæ memor digna laude gereret et turpia declinaret. Quod utrumque mihi videtur considerasse Joannes, dum iterato vocem se appellat. Vox enim qua præclarum aliquid significat, magnum quiddam est; qua vero sonus tantum, nihil fere est. Vox igitur est Joannes, sed vox clamantis Messîæ; bulla, bulla sed aurea. Similiter et homo vox est, ut ante octiduum audivimus, et bulla est. Sed interim etiam aurea bulla est et vox Dei, quia imaginem ejus gerens, etc. ut sic habeat partim quo humilietur, partim quo dignitatem suam tueatur; ut videbimus.

- I. *Hominis dignitas; quod sit compendium*

quasi omnium creaturarum, et ut vocatur a Mercurio Trismegisto in Asclep. parvus mundus, quia omnis creaturæ aliquid habet: ab angelis enim habet intelligere, ab animalibus sentire, a plantis vivere, ab inanimatis esse, et habet in se quatuor humores, quasi totidem elementa, mixta inanimata, ut unguis et pilos; animata at non sentientia, ut ossa et dentes; animata et sententia, ut nervos, carnem et cutem: denique animum rationis participem. Quemadmodum enim dominus aliquis hortum suum transiens et variis in areolis varios con-templans flores, ex omni florum specie unum sibi decerpit, et in fasciculum nec tit, quem ipse manibus tractat, naribus applicat, sæpius in- tuetur, eoque se delectat; ita Deus postquam omnes gradus creaturarum produxisset, exis- tentes, viventes, sentientes, intelligentes, ad ul- timum pro sua singulari delectatione fascicu- lum ex iis omnibus sibi elegit, hominemque creavit, omnibus illorum gradibus dotatum. Unde ait, Proverb. VIII. *Delicie mee esse cum filiis hominum.* Propterea etiam singulare stu- dium ad fasciculum hunc nectendum seu crean- dum adhibuit. Primo eum ultimo loco tamquam complementum et coronidem omnium operum suorum creavit. Secundo, quasi cum prævia ali- qua deliberatione et consideratione; non enim dixit statim, ut de aliis creaturis: *Fiat homo* sed: *Faciamus hominem*, etc. Tertio adhibuit singulari modo communem totius SS. Trinitatis operam, dicendo: *Faciamus hominem*, etc. Quarto cæteros animantes et stirpes terra et aqua generasse dicuntur, hominem vero Deus dicitur per se solum condidisse. Quibus omni- bus Deus hominem sibi conciliare voluit, ut scribit S. Ambrosius in Gen. eumque ad amo- rem suum pellicere: quod stupore plenum est et fortissimum calcar ad Deum redamandum. Quid enim est hoc? Homini amor a Deo ambi- ri? Imo tot artificis et officii quæri? Certe non est dubium voluisse Deum sibi ipsi habitationem in homine præparare, quem tan- to studio tamque venuste pinxit. Injuriam igitur Deo facit, qui seipsum dæmoni aut creatur- arum etiam amoribus, non Deo præbet. Alex- ander Magnus post Darium prælio victum, adeptus scrinium in regia, præda ex auro et gemmis fabricatum, rogansque, quinam esset ejus vasculi usus, ubi audivit esse thecam un- guentorum regionum: *Quis*, inquit, *rei magis pretiosæ sit post hæc custos? Sitque mihi jam custos et theca Homeri*; a tque ita Iliadem Ho- meri in eo asservavit; Plin. lib. VII. cap. XXIX. Quanto potiori jure homo fabricam corporis animique sui tam elegantem et pretiosam reser- vabit Dei non creaturarum amori, Spiritus Sancti gratiæ, non escis et voluptatibus.

II. Quod imperator mundi a Deo constitutus, propterea enim primo adduxit ad Adam Deus animalia, ut is recognosceret subditos suos et vocaret quibus vellet nominibus. Et tunc cum ea vocaret Adam, transibant pronis capitibus demissisque cervicibus ante Adamum vultu ra- diante, in solio sublime sedentem, si Moysi Barcephæ credimus in I. de paradiso. Secundo, Adamo ipsemet nomen dedit, et tale quidem, cujus singulæ litteræ initiales essent quatuor orbis partium in Græco idiomate, A. *anatole*, id est, oriens: D. *dysis*, id est, occidens: A. *arctos*, id est, septentrio: M. *mesembria*, id est, meridies: ut sic homo totius orbis dominus esse nosceretur. Tertio, ante ejus creationem præparavit ei Dominus mundum tamquam pulcher- rimum palatium omnibus necessariis imo et deliciis instructum, postea eum in amœnissimam ejus partem, paradisum, introduxit: ei silvas in umbracula, campos in deambulacra, maria in piscinas, saltus ad venationes, elementa in muros, montes in turres, astra in fenestras, cœlos in tentoria dedit: angelos denique suos in satellites et custodes. Et hæc omnia ut eum ab amore creaturarum abstraheret, quas ideo sub pedibus ejus, ut ait Psal. VIII. subjecit, ut is ea tamquam longe inferiora seque indigna negligeret, et ad superna sui similia aspiraret. Hinc enim Adæ ex omnibus sibi adductis ani- mantibus non inveniebatur, quod amare pos- set, quia nihil aderat ei simile: (similitudo au- tem est causa amoris.) Ut igitur probrum et ignominia indelebilis foret, si qui rex adamaret ancillam plebeiam et contemptam, quemadmo- dum Henricus Sueciæ rex, qui licitoris filiam adamavit sibi que despondit anno 1567. nuptias- que Stocholmiæ instituit, reclamantibus propin- quis, ut scribit Florim. Remund. de orig. hæ. lib. IV. cap. XVI. ita multo major est homini, cum in gulam, lasciviam, aurum, etc. amores suos convertit. Audi Basilium hom. X. hexam. « Animal es, o homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum servas servitute? Ec- quid te dedis peccato in vile mancipium? » Id ipsum exprobat hominibus David Psal. IV. dicens: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (in Hebr. filii viri, usquequo gloriosi mei, ad ignominiam, diligentes vanitatem quæritis men- dacium?)

III. Quod homini animus quidam divinus et præstantissimus sit, ceu concha quæ extra quid- dem vilis est, habet tamen intra se pretiosam margaritam. Primo, quia rationalis: secundo, quia immortalis; tertio, quia liberi arbitrii, per quod crescere in meritis supra angelos potest; quarto, quia capax sapientiæ, virtutis, gratiæ et gloriæ, quæ vel singula omnem mundi valorem et dignitatem superant. Quid enim magis optare

potest homo, quam generis splendorem et no- bilitatem clarissimam; libertatem agendi maxi- mam; divitias et scientias; vitam denique ad fruitionem horum perpetuam? Hæc omnia data sunt homini; stemm a divinum, libertas arbitrii maxima, hæreditas cœli, vitæ immortalitas. Hinc fit quod pro anima una litigent quasi Deus et diabolus, quia norunt pretium ejus; Deus enim pro anima *A regalibus sedibus venit*, inquit S. Bernardus in medit. c. III. idemque Matth. XVI. eam universo mundo præposuit dicens: *Quid prodest homini, si mandum universum lu- cretur, animæ vero suæ detrimentum patiat?* Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Denique eam morte sua emit. Diabolus autem pollicetur se daturum omnia regna mun- di cum omni ipsorum gloria pro una hominis anima, Matth. IV. Hinc igitur argumentemur, quanta cura et sollicitudine custodienda sit ani- ma. Quis enim non sedulo conservare studet generis sui splendorem, libertatem, vitam, hæ- reditatem? Et hæc omnia hisque multo nobi- liora, quam multoties pro vilissima creatura et delectatione perdimus et vendimus?

IV. Quod per incarnationem Dei, frater quo- dammodo illius factus est. Sic enim ipse Joan- nis XX. ad Magdale nam ait: *Vade ad fratres meos*; et Matth. XXVIII. *Nuntiate fratribus meis*: et Hebr. II. per Apostolum: *Narrabo no- men tuum fratribus meis*; additque Apostolus quasi gloriabundus: *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit.* Hinc ausus et dicere S. Bernardus: *Puto, spernere me non potest Christus, quia os ex ossibus meis et caro de carne mea est.* Exprobrabat olim Domi- nus primis nostris parentibus, quod similitudi- nem Dei appetendo decepti essent, dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Qua de re Richardus Victorinus l. I. de Emman. p. I. c. XIX. ait: « Merito o sanctissimæ Trinitatis Personæ exprobratis; sed numquid adhuc exprobrabit? Certe si dixistis ironice, quia homo factus est quasi unus ex nobis; nos de cætero dicemus tam fidentur quam veraciter, quia Deus factus est quasi unus ex nobis. » Id- circo enim Christus sæpissime se filium hominis vocabat, ut significaret se jam nobiscum carnis cognationem habere, fratremque nostrum esse, ut notat Tertul. l. de carne Christi. Hinc na- tura humana tantum exaltata est, ut post incar- nationem Dei non permitterent amplius angeli se adorari ab homine, ut patet Apoc. XIX. ubi angelus Joanni volenti se adorare dixit: *Vide ne feceris, conservus tuus sum et fratrum tuorum*; quia nimirum *Non dedignantur angeli habere hominem socium*, ut inquit S. Gregorius hom. VIII. in Evang. *qui super se adorant homi- nem Deum.* Et hinc est etiam quod homines

consedere dicuntur cum Christo in cœlo, Matth. XIX. et ad Eph. II. habere etiam sedilia sibi in cœlo parata, Apoc. IX. cum tamen angeli nusquam in sacris litteris legantur in cœlo sedere, sed tantum stare, assistere et minis- trare: ut patet Isaia VIII. Dan. VII. Tob. XII. Tandem diabolus hanc dignitatem cognationis Christi, quam prævidit ante lapsum Adami, homini invidens, idcirco eum tentavit, teste S. Bern. serm. I. de adventu; ut sic fœdaret na- turam humanam, Deumque ab ea assumenda averteret. Igitur si Christus hominis appellatione gaudet, si Angeli sanctii ob Dei humanitatem honorem hominibus deferunt, imo cedunt, si diabolus invidet, quanta est, putatis, humanæ conditionis gloria? Quantopere etiam curan- dum, ut ne quid indignum tanto fratre gera- mus? « Agnosce, o homo, dignitatem tuam, (inquit S. Leo Papa), et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri con- versatione redire. » Quis nescit quam ægre acci- piant nobiles familiæ, si quis ex ea cum plebeio homine contrahat matrimonium? Excludunt illum ab hæreditate, negant suum esse propin- quum. Certe Henricum regem, de quo supra dictum, Comes quidam sanguinis cognatione ei junctus, per omnia sacra obsecrabat, ne regium sanguinem cum tam vili et abjecta persona mis- ceret, qui tamen ob id a rege occisus est. Quid ergo, putatis, dicit Christus, si de tanta ejus familia demittamus nos ad abjecta quæque? Quomodo vero quis eo se non dejicit, qui cor- pus suum prostituit et meretrici jungit? Qui voluptatibus indulgendo, sese inebriando, etc. belluinam degit?

V. Quod ad corporis sui communionem homi- nes invitet et admittat. Magna dignitas foret, si cui rex aliquis de mensa sua mitteret escas et vinum, quibus ipsemet victitaret. Hoc enim in signum magnæ benevolentiae fecit David Uriæ II. Reg. XI. *Seculus est eum cibus regius*, inquit Scriptura. Similiter et eunuchis suis Nabucho- donosor, Dan I. Sed major esset, si eum rex ad propriam invitaret mensam; quod fecit regina Esther Aman, qui idcirco ait: *Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.* Esther, V. Major adhuc esset, si rex ejusmodi convivæ suo propriis manibus panem scinderet ferculaque mitteret, id quod præstitit Joseph fratri suo uterino Benjamino, tamquam intimo et singulariter dilecto, Gen. XLIII. Major adhuc si ipsemet rex ad te des- cenderet in domum tuam, tecum epulaturus; quod fecit Christus Zachæo. Major adhuc foret, si pretiosissimas quasque escas de longinquo et exteris nationibus afferri curaret, quo hospitem suum magnifice tractare posset; quod fecit

Deus Israelitis in deserto, cum panem de cœlo dedit eis, angelorum manibus confectum, ob cuius beneficii novitatem et magnitudinem exclamabant præ stupore: *Manhu*, id est, quid est hoc? Item Danieli in lacu leonum per Habacuc de longe adductum angeli ministerio. Quod maxima gratitudine agnovit Daniel dicens: *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te.*, Dan. XIV. Sed nihil hæc sunt omnia, si cum ea magnificentia comparemus, qua cibatur Deus hominem: invitatur enim hominem ad mensam suam, ubi seipsum ei apponit, et tradit cibum, quo fruuntur et delectantur beati in cœlo, de cœlo ad eum descendens. Quanta hæc dignatio? Quis hanc gratiam non maximo sibi honori ducat seque ea indignum clamet? Miphiboseth filius Jonathæ invitatus a Davide, ut comederet cum ipso in mensa semper: *Quis ego sum, inquit, servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* II. Reg. IX. Quid dicemus nos, qui ad mensam Christi plusquam regiam invitati sumus? Deinde quis polutus audeat accedere? Si enim Judæi scelus putabant ad mensam sedere non lotis manibus, ut Matth. XV. legimus: quanto gravius erit polluto corde Christum suscipere!

VI. Deus etiam quodammodo est, juxta id Psal. LXXXI. *Ego dixi, dii estis.* Primo enim intellectum et ingenium habet, quibus omnia pene investigare et invenire potest, cœli et terræ ambitum, stellarum magnitudines, cœlorum cursum, eclipses, omnes scientias et artes; adeo ut aliqui modum adinvenierint, quo totam terram, si modo extra eam in loco aliquo consistere possent, unica manu moverent: et sic homo aliquo modo omnipotens dici potest. Secundo, habet vires et potestatem vincendi ac ligandi dæmones, quemadmodum fecere Sancti Antonius, Macharius (ad quem exclamabat dæmon: *Magnam vim a te patior, Machari, etc.* In vitis Patrum I. VII. c. XIII.) Benedictus, Bernardus alique, imo et exorcistæ in Ecclesia primitiva. Tertio, data est potestas sacerdotibus conferendi aliis per sacramenta gratiam, et cœlum aperiendi per absolutionem, alios illuminandi, etc. Sic enim instar Dei inspirant peccatoribus vita carentibus spiraculum vitæ; id est, gratiæ, quæ est communicatio quædam divinitatis. Quarto, habent plurimi sancti potestatem faciendi miracula, quandoque majora quam ipse Christus fecerit, cæcos illuminandi, ægros curandi, serpentes calcandi, mortuos resuscitandi, etc. quæ creaturarum vires longe excedunt. Quinto, data est multis sanctis auctoritas et potestas coercendi rebelles Deo tyrannos, uti Moysi in Pharaonem: quemadmodum Exodi VII. dixit Deus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: Eliæ in Achab regem: Joan-

ni nostro in Herodem: S. Basilio in Valentem imperatorem: Ambrosio in Theodosium et Justinam imperatricem: Leoni in Attilam: Athanasio in Constantinum imperatorem, etc. Quæ omnia quantam hominis dignitatem spirant, quis dicere sufficit? Audite demum S. Chrysostomum, hom. XV. in ep. I. ad Timoth. sic loquentem: «Vide quanto nos affectu honore (Deus) hujusmodi nobis potestate permittit. Feci ego, inquit, cœlum et terram: eadem conditionis facultate te dono, ut terram facias cœlum. Feci ego corpus pulchrum, do tibi præstantius officium, tu animam pulchram. Dixi ego et produxi herbam fœni, et omne fructiferum lignum; die tu quoque: Producat hæc terra fructum suum, et proderit, quodcumque operari volueris. Finxi draconem et illudo ei, diabolo scilicet; nec tibi hanc invidi potestatem; illude illi tu quoque si vis, potes enim eum ut passerulum capere. Oriri facio solem super bonos et malos; imitari me tu, bonaque tua bonis et malis communica. Accendi in cœlo luminaria; accende et tu clariora illis: nam et hoc potes; iis qui in errore sunt, veritatis lumen accende. Dominus angelorum ego: itidem in sede regia, sede et tu necum, etc.»

VII. Hæres æternæ beatitudinis: quia ad nuptias Agni invitatus est, ut cum Christo super mensam ejus sedat in regno Dei in æternum: quo etiam vocat nos corporis nostri statura recta et cœlo obversa. *Solam enim in terris cælestem plantam*, (inquit Philo. in lib. de eo quod deterius potiori insidiari solet) *fecit hominem, cæterarum in terra defixit capita, etc.* Unde, teste D. Ambrosio, dæmon homini invidere et insidiari cœpit, quod figuratus de limo electus est in cœli civem, unde ipse lapsus est. «Hinc etiam, ut ait Ferus (super illud: *Et fecit Deus firmamentum*) prius cœlum ornavit quam terram, ad ostendendum quod quamvis etiam terra ad tempus hominis hospitium sit, tamen homo potissimum propter cœlum possidendum est creatus.» Non tibi videtur magna dignitas, cum quis rex vel imperator alterum socium regni aliquem designat? At hoc nobis fecit Deus. Quando ergo tanta est humanæ conditionis dignitas et præstantia, videat unusquisque ne scelus turpitudine maculam illi aspergat. Quam turpis Constantinus Iconoclasta, qui cum imperatorem se audiret, interim tamen «Tantopere, inquit Theosterictus in Niceta, sordium et impurissimæ cujusque rei odore malo delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, et eos, qui cum illo erant, id facere juberet?» Unde Stercorius et Caballinus dictus est, quod fimo et lotio caballorum recrearetur. At si tu, quicumque es, neglectis solidis et cælestibus bonis, terrena tantum secteris; nihilo magis sapis:

stercore et luto nobilitatem tuam conspurcas, etc.

CONCIO II.

DE MORTE JUSTORUM PRETIOSA.

I. Justi libenter moriuntur. — II. Non horrent judicium. — III. Cœlum ingrediuntur lætabundi.

THEMA.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. III.

Factum est jam, auditores, quod prædixit Isaias in hodierno Evangelio: *Videbit omnis caro salutare Dei*: sed et rursus fiet. Factum est in primo Christi adventu, quando omnes qui voluerunt, carnalibus oculis Christum viderunt. Fiet vero iterum in secundo ejus adventu, quamvis maximo discrimine: nam videbunt eum justis maximo cum gaudio; reprobi maximo cum dolore; uti scribit S. Gregorius hom. XX. in Evang. «Ubi cum apertis cœlis, inquit, ministrantibus Angelis, considentibus apostolis in sede majestatis suæ Ch istus apparuerit, omnes hunc et electi et reprobi pariter videbunt, ut et justis munere retributionis sine fine gaudeant; et injusti in ultione supplicii in perpetuum gemant.» Unde idem sanctus, hom. XXI. mox seq. secundum Christi adventum vult significatum per angelum illum, qui testis resurrectionis Christi aspectu suo fulgureo terruit custodes sepulchri, et vestimento suo niveo recreavit sanctas mulieres juxta id Matth. XXVIII. *Erat aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix.* «In fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris,» ait: quasi in generali resurrectione, simili aspectu Christus sit venturus. Idem designatum esse per columnam illam Exodi XIII. subdit statim dicens: «Unde recte quoque populum per desertum gradientem, columna ignis in nocte, et columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem visionis lenis blandimentum: dies vero vita justis, et nox accipitur vita peccatoris. Unde et conversis peccatoribus Paulus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem; quia omnipotens Deus et blandus justis, et terribilis apparebit injustis. Istos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet; illos vero per justitiæ districtiorem terret.» Sic ille. Ergo Christus bene morientibus apparebit blandus, male morientibus terribilis. Vidimus jam alibi, quibus morientibus terribilis appariturus sit: videamus nunc morientes, quibus blandus futurus. Tres invenio portas, per quas ingrediuntur justis, cum ex hoc sæculo migrant: portam mortis, portam judicii, portam cœli. Per primam intrant libenter, per

secundam confidenter, per tertiam hilariter. In prima porta premere aliquem posset amor mundi, cupiditas vivendi, negotia sæculi, corporis separatio, insidiæ dæmonum, dolores; in secunda metus judicii; in tertia metus gehennæ: sed nihil horum justos perturbat.

I. Per primam libenter intrant primo, quia nihil in mundo ita amarunt, quod non libenter perdere semper parati erant. Quidquid in mundo habebant, non magis illis adhæsit, quam vestimentum, quod facile exiit, sine dolore aut molestia. Aliud est pellem corporis, aliud vestem exuere: hoc fit absque dolore, illud non nisi cum ingenti cruciatu. Qui mundo affixi sunt, quasi pelle ipsa spoliuntur cum moriuntur. Et quantus horum erit dolor? *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?* Ait Eccl. c. XLVI. Contra qui nil in mundo amant, saltem impense, non difficiliter quam veste se expoliant mundi bonis. Sic Reginaldus Polus card. cum audisset regem Angliæ Henricum octavum quinquaginta aureorum millia constituisse ei, qui necem illi inferret, miratus regis amentiam dixit, jam dudum se vitæ hujus tadio affectum, mortem cupivisse corporisque depositionem; et proinde cum Henricus tanto studio et incommodo illud ipsum efficere conetur, nihil aliud facere, quam si quis ire dormitum cupienti, vestem ipsam velit detrahere. Nic. Sander. l. I. de schism. Angl. De his dictum vult S. Ambrosius illud Apoc. XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Scribens enim super eum locum, ait: «Quis mortuus mori potest? Nullus nisi prius animam accipiat. Illi sane sunt beati et illi mortui in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carni.»

Secundo, quia saturi sunt dierum, quos miseris plenos experti sunt in mundo. Quocumque enim se vertebant, videbant undique calamitates, Dei offensas, pauperum oppressiones, interitus quotidianos non tantum infidelium et hæreticorum, sed etiam multorum catholicorum; gemitus pauperum, querelas divitum, odia, inimicitias, livores, etc. Vident denique *Totum mundum*, ut ait S. Joannes, epist. I. cap. V. *in maligno positum*, id est, plenum omnibus sceleribus; ubi aut mali tantum sunt, aut boni a malis premuntur. Sic Abraham, Gen. XXV. dicitur mortuus esse *plenus dierum*, id est, satur vivendi, ut habent Hebræi, et cupiens dissolvi, satur ergo dierum fuit, quoniam dies mali sunt, ut ait Apost. ad Ephes. V. et nepos Abraham Jacob, Gen. XLVII. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parvi et mali*, id est, pleni ærumnis, periculis, tentationibus. Contra reprobi nunquam moriuntur pleni seu saturi dierum; sed in tempore non suo, ut ait